

afferre possunt ob quam ego debeam iudicari, ac condemnari.

35. Vers. 14. Confiteor hoc tantum tibi, generose fidem confitetur, quod secundum sectam. Græcus Institutum. Syriacus, doctrinam Christianorum quam dicunt hæresim suo maledicto ore, sermo Syriacus, colo, patriæ cultu, Patri, & deo meo Patri tanquam filius; Deo, ut Creatori; tamen apertissime legendum est cum græco, Syriaco, Oecumenico, Cajetano, Tigurina, Deo Patrio seu Deo Patrum; ac si dicat; Deus, quem ego prædico, & adoro, non est quid novum, & inventum, sed valde antiquum à tempore patrum nostrorum, & iste talis deus est declaratus, & prænuntiatus in prophetis.

36. Vers. 15. Spem habens in Deum, de consequenda eius beatitudine, quam hi ipsi expectant, qui credunt resurrectionem iustorum ad gloriam, iniquorum ad poenam.

QUÆSTIO V.

Quare Paulus in conventu malignantium tam imperterritus generose sit?

37. Erat paulus in medio conventu malignantium qui rabido, & diabolico ore fremebant in eum, & tamen ipse maxime firmus absque ullo timore loquitur, unum verum Deum prædicat, causam suam tacet & illos pro nihilo reputat, quia cum malos, & pessimos videret, pro certo habebat quod eorum impietas eos destrueret, & divina ira contra eos advocaret.

38. Ait deus ad Ezechielem cap. 2. num. 6. Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, verba eorum ne timeas, & vulnus eorum ne formides, quoniam dominus exasperans est. Res sane omni expensione dignissima, isti mali dicuntur subversores, increduli similes scorpionibus exasperantes, quæ omnia magnam ingerebant timorem in quomodo his objectis, dicitur, quod non timeat, merito tamen cum tales proponuntur, dicitur quod non timeat, quia cum agnoscat impios, & nequissimos, ipsi cito peribunt, & consummabuntur, & iram Dei contra se concitabunt, & ideo tales contemnendi sunt in suis persecutionibus, ibi theodoret. Causa idonea est ad contemptum eorum qui insidiosi aggrediuntur improbitas, legis enim violatores, & à divina opere vacui sunt; neque utique huiusmodi viri metuendi quamvis more scorpionum ladat; quamvis temeraria verba proferant.

39. Ait Regius Vates Psalm. 10 num. 1. In Domino confido, quomodo dicitis anima mea transmigravit in montes sicut passer, Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in occulto rectos corde. Mandatur David fugere in montes ob armatas inimicorum manus, & unde unus homo solitarius, tanquam Passer tantas copias valeat evitare, ac despiciere ex eo, quod dicitur, Quoniam ecce peccatores cum eos injustos, & peccatores agnoscat, & se totum in Deum recipiat, nihil timendum est ab eis, sed omnino despiciendi, Euthimius ibi. Hæc inquit, de causa ego confido, quia peccatores sunt qui pugnant adversum me, peccant enim dum me temere insequuntur, & membra afficere volunt.

40. Ait deus Sophon. 1. n. 5. quod destruet venerantes Baal, & eos, qui adorant super tecta militiam Cæli Indignatur contra hos idololatrias, qui super tecta fabricabant quædam tabulata ut sit in Palestina ut non solum die, sed etiam nocte adorarent militiam ecclestem, & per quasdam observationes mathematicas, tanquam per quædam oracula publicabatur signa contra eloquia prophetarum, ut essent in contemptum; ut eorum mendacia essent in venerationem, ut credibilia. Hieron ibi ait. Adorant super tecta militiam, qui elevantur adversus scientiam Dei, & omne, quod geritur in saculo sicut sibi scientiam pollicentes referunt ad artes stellares, ut occubitus, & mathematicorum sequuntur errores, quos ut solidas veritates prædicant.

QUÆSTIO VI.

Quare nefandi, ac execrabiles homines Sanctæ religionem Christianam dicebant hæresim?

40. Ait apostolus in præfati, Confiteor tibi quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, hoc est secundum doctrinam Christianam, quam isti pestiferi mei accusatores dicunt hæresim; Valde mirum sanam doctrinam Christianam coherentem cum Sacra Scripturâ, prædicatam per homines sacratissimos cum omni puritate, humilitate, & cæteris omnibus virtutibus, dicere impios accusatores pauli hæresim, & suum malum, & diabolum in ventum introductum per homines, omni vitio, ac turpitudine plenum reputare bonum, & sanctum.

41. Ad quod respiciens tertullian in apolog. c. 46. ait, Unicusque manifestatur veritas nostra, interim incredulitas dum de bono huius secta obducitur quod de usu jam, & de commercio innotuit non utique divinum negotium existimat, sed magis Philosophia genus. Veritas Christiana valde nota, & manifestata est, quod maxime patet ex usu, & commercio Christianorum, sed sunt homines ita depravati, ut hoc nostrum negotium Christianissimum, non esse quid Divinum, sed quoddam Philosophiæ genus dicant, ita ut veritatem mendacium, & mendacium veritatem affirmet.

42. Mandat deus moysi, Extende manum super aquas Egypti, & super fluvios eorum, & rivulos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, & vertentur in sanguinem, & fecit Moyses, ut ei fuerat mandatum fecerunt & Magi similiter incantationibus suis, induratum est cor Pharaonis, & non dimisit eos. Exod. 7. 22. Abulen Quia Magi fecerunt similes, & non credebatur, quod Moyses faceret illud virtute divina; immo potius existimo, quia ideo induratum est cor ejus, quia ibi persuasit iniquus pharao, quod Moyses arte mala operabatur, & malefici ejus superna ope, ut ita mendacium prævaleret veritati, & veritas reputaretur mendacium, & mendacium veritas; quod etiam id confirmari potest ex historia Susannæ, contra quam senes inveterati se fiebant testes, Daniel. 13. n. 40. ut ait Cardinalis Hugo oculati, ut falsitatem facerent credibilem, & falsificarent veritatem.

44. Ait deus Sophon. 1. n. 5. quod destruet venerantes Baal, & eos, qui adorant super tecta militiam Cæli Indignatur contra hos idololatrias, qui super tecta fabricabant quædam tabulata ut sit in Palestina ut non solum die, sed etiam nocte adorarent militiam ecclestem, & per quasdam observationes mathematicas, tanquam per quædam oracula publicabatur signa contra eloquia prophetarum, ut essent in contemptum; ut eorum mendacia essent in venerationem, ut credibilia. Hieron ibi ait. Adorant super tecta militiam, qui elevantur adversus scientiam Dei, & omne, quod geritur in saculo sicut sibi scientiam pollicentes referunt ad artes stellares, ut occubitus, & mathematicorum sequuntur errores, quos ut solidas veritates prædicant.

QUÆSTIO VII.

Quare Apostolus ait coram Præside se habere spem in Deum?

44. Tabat Apostolus, ut iudicaretur coram præside, ostendens nil timere suum iudicium, cum habet at

Plal. 54. Caldeus. habeat spem suam in Deum. Dicebat david Psal. 54. num. 23. facta super Dominum curam tuam, & ipsa enutriet. Caldeus legit. facta spem tuam Pagnin. Pagninus tuum, & etiam alii, onus, quo gravaris ac molestiam sustines, projice in Deum, & ipse in se suscipiet onus, ut exponit noster Incongnis, & ipse te enutriet, seu ut habet alia lectio. Sustentabit in omni bono, & munimine.

45. Quod ita certum est, quod ubi posueris spem tuam in Deum, illa non sunt tamquam in futurum habenda; sed jam tamquam in præfati, ac manu obtenta, Vide Joan in Apocalypsi cap. 4. num. 4. quod circa thronum Dei stabant, viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corone auree. His denotabatur, quod iusti, qui decertant in hoc mundo pro Deo, & in eo habent suam spem, ab eo sunt coronandi gloriæ diademate; at qui corona non datur, nisi post finitum certamen: quomodo ergo illis adhuc certantibus, jam coronæ refulgent in capite, cum scriptum sit, non coronabitur, nisi qui legitime certaverit, ait Richardus Victorin. in Apocalypsi lib. 2. part. 2. cap. 1. in capitibus habent coronas in mundos sperando, in Cælo possidendo gloriam. Coronas, quas obtinebant in gloria, ita sperando in hoc sæculo, ita certissime jam habent, ac si illas jam possessas in capitibus suis positas haberent.

46. Ait Christus dominus Latroni, cum peteret, ac speraret à Christo sui memoriam in regno Cælorum, Hodie mecum eris in Paradiso. Luca 23. quomodo hoc coherere potest, cum Christus non ascendit, nisi post quadraginta dies, & extitit primus, qui aperuit Cælum, & ingressus est, & secum asportavit Latronem, quomodo ait illi Christus, dum pendit in Cruce, Hodie mecum eris in Paradiso. Speranti promisit Dominus, idem est, ac si totum habeat in illa hora, ac momento, theophylact, in Catenâ Græca in Lucam ait. Alii autem dixerunt, quod latro nondum sortitus sit in Paradiso conversionem, sed quia invariabilis, & fallere nequeat Dei promissio, ideo dictum esse. Hodie mecum eris in Paradiso, est enim & hæc species phrasin in verbis domini, ut de futuris loquatur tanquam de iis quæ jam sunt.

47. Qui sperat à Deo, jam totum habet, & qui non sperat à deo, sed à mundo totum perdit: Mandat david ad soab principem exercitus sui, Numeri populum, ut sciam numerum ejus. 2. Reg. 24. num. 2. in quo negotio David gravissime deliquit, ut ipse confessus est. Peccavi valde in hoc facto, Ibid. num. 10. ob quod vehementer iratus est dominus num. 15 & misit pestilentiam in populum, & multa millia hominum perierunt. Valde laborant interpretes indagantes hujus peccati radicem, nam valde consuetum, & in communi usu est, ut Imperatores, ac duces recenseant numerum suorum militum, in quo extitit tam grande peccatum; aliqui referunt ad vanam gloriam, alii ad legem violatam de solvendâ pecuniâ Exod. 30. num. 13 Isidor. Clarus ad spem obtinendæ victoriæ in robore, ac multitudine militum, sic ait. iratus est Dominus, quod David magis confusus fuerit in multitudine populi, quam in nomine Domini.

Act. 24. n. 16. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.

Versiones.

QUARTA EXPOSITIO. usque ad vers. 21.

48. Vers. 16. In hoc & ipse studeo. Syriac. propterea etiam laboro totâ meâ intentione, ac viribus, sine offendiculo, sine ullo scandalo, conscientiam puram, & inoffensam, ut nullus habeat malum dicere de nobis, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. Corinth. 6. num. 3. secundum conscientiam, secundum nostrum modum vivendi, & agendi coram hominibus, & Deo cordium scrutatore. Semper Syriac. Perseveranter.

49. Vers. 17. Post annos autem plures, scilicet à mea conversione anno 21. Ipse enim conversus est anno Christi, 46. hæc vero contigerunt anno Christi 58. Eleemosynas facturus, non sum perturbator, & amotinor reipublicæ, sed illius benefactor, cum tempore famis viam arripiens in Jerusalem in gentem meam. Syriacus filios gentis meæ, qui ob laudandam vitam perfectam vendiderunt omnia sua & multa penuriâ laborabant, ad eos sublevandos veni Jerusalem 2. Corinth. 8. 9. & oblationes, non sum violator templi, veni ad faciendâ obsequia, & oblata beo.

50. Vers. 18. Invenimus me purificatum. Syriacus, cum expurgatus essem, antequam ingrederetur in templum, se ipsum purificabit cap. 21. num. 26. & ibi explicavi.

51. Vers. 19. Quidam ex Asia Judæi, ut apponunt Syriacus, Vatabulum, tumultum, qui factus est Jerusalemis, excitaverunt, non ego, sic frequenter contingit; malum, quod faciunt iniqui, in justos refundere intentant, quos oportebat apud te præsto esse. Syriacus, quos sistere mecum ipsi, depromant, siquid habent contra me, & ego respondebo, & quis dignus poenæ, videbitur.

52. Vers. 20. Aut hi ipsi, qui modo sunt præfati, siquid habent contra me hic dicant, cum simus in Concilio, cui tu præses, & per angulos extra Concilium non murmurent, ac loquantur, sed hic coram te, & Concilio dicant, ac proferant, quid habent contra me.

54. Vers. 21. Nisi de unâ hæc solummodo voce. Syriac. nisi amicum hoc verbum, quod dixi in concilio. c. 23. n. 6. ego Phariseus sum de spe, & resurrectione mortuorum ego iudico, & inde factum est magnus schisma inter phariseos & Sadduceos, quilibet eorum, pugnant pro sua secta, quam seditionem inter se ipsos illi excitarunt, non autem ego.

QUÆSTIO VIII.

Quare Paulus tam confidenter stat in concilio despiciens oblatantium voces?

55. Ait ipse in præfati vers. 16. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere in Deo. Cum ipse haberet bonam, & rectâ conscientiam, dū optime firmus, ac securus erat in omni contrarietate omnes adversariorum incurfus despiciebat, ait ipse Hebræo. 13. num. 18. Confidimus enim quæ bonam conscientiam habemus in omnibus, scilicet rebus & actionibus. Causam suæ confidentiæ in tot, ac tantis laboribus quos passus est, assignat, ut notant D. Christ. ac D. Thom. bonam conscientiam habentes, & ubi hæc vegetat statim serena, ac placida quies omnem timorem expellens.

Ait idem Apostolus 1. Timoth. 1. num. 19. habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes

D. Chry-
sost. Bonae con-
scientiae sibi an-
chora. repellentes circa fidem naufragarunt, ubi, ut no-
tat D. Chryostomus, eleganti metaphorâ fidem
navi comparat, in qua anchora, quae navim hanc
roborat, ut in tribulatione, ac saeviente omnium
laborum tempestate, inconcussa perseveret, est
bona conscientia, quae firma in Deo omnia terrena
despicit nil metuens.

57. At mala conscientia valde sibi saeviens, multo
cogitationum cruciatu perturbata, & undique si-
bi sibi mens. D. Ambrosius lib. 3. de officio cap. 4.
ait, Quam poena gravior, quam interioris vulnus
conscientiae. Quod severius iudicium, quam dome-
sticum, quo unusquisque sibi est reus, ipseque se ar-
guit. Nullum iudicium asperitur, ac crudelius ho-
mini, quam ipsamet conscientia, quae interius cor-
rodit, & vehementi cruciatu vulnerat, ac cruentat
sive in mensa, sive in lectulo, ac deambulatione.

58. Loquens Christus Dominus de crudelibus tor-
mentis damnatorum Marc. 9. num. 47. ait. Ubi ver-
mis eorum non moritur, quod desumptum est ex
Haisa 66. num. 24. Conscientiae morsus dicitur ver-
mis damnatorum, nam sicut vermis interior cor-
rodit, & consumit lignum, & in fructu in ejus
medulla gignitur vermiculus, qui totum ipsum per-
dit ac destruit, sic etiam in intima hominis inveni-
te prodit conscientiae vermis, qui maxime homi-
nem percutit, affligit, ac dilacerat, & insensibili-
liter ipsum mordet, ut inter infernales cruciatus
maxime torqueat perenne conscientiae tormentum
Victor Antioch. ad cap. 9. D. Marc. sic ait. Desig-
natur hoc vermis nomine, impura, scelerataque
conscientia, siquidem una haec animam peccatricem,
nulliusque boni sibi consciam, inutulis poenitentia
aculeis, instar edacis vermis continuo pungit, &
rodit, unusquisque ergo sceleratorum sui ipsius accu-
sator erit etiam dum eo secum perpendit, animoque
jugiter revolvit, quae improbe gessit, vel invidius se-
reum confiteri compellitur, omni supplicio gravius
est immortalalem illum vermem, direque corrodentem
circumferre. Perpende ultima verba.

Victor Antioch. Aitor. 24. n. 22. Distulit autem illos Felix,
certissimè sciens de via hâc dicens, cum
Tribunus Lyfias descenderit audiâ vos.
Versiones.

QUINTA EXPOSITIO.
usque ad Vers. 27.

59. Vers. 12. Distulit autem, noluit tunc Felix rem
determinare, ac iudicare, certissi-
me sciens de via hâc. Arabicus, Cupiens exactum
habere, quae circa viam sunt. Aliqui hoc referunt
ad viam, ad doctrinam Judaeorum; sed cum ille
ad multo tempore esset Judaeae praeses, planam de
illa habebat notitiam, & ideo melius D. Christo-
stomus, Lyranus, Carthusianus, Hugo referunt
ad viam, & doctrinam Christianorum, de qua
non habebat tantam notitiam & paulus cum mul-
ta sapientia, modestia, absque alicujus odio, &
calumniâ praedicabat, & hoc corroboratur.

60. Vers. 23. Jussit Centurioni custodire eum in arce
& habere requiem à tot, & tantis fatigationibus
juxta radicem graecam, legit D. Chryost. Sinereque
eum relaxari, id est, ut non esset in tam rigida cu-
stodia, sed laxius, ac mitius haberi, nec quemquam de
suis ministrare ei. Syriac. nemo ex familiaribus ejus
prohiberetur. Arabicus, nec veteret illi ministerium
ipsius, nec ingressum ad eum, Vatabl. Subministrare
ei, & adire ad eum, essetque liberum cum eo agere

Syriac. Arabic. Vatabl.

61. Vers. 24. Post aliquos dies, aliquibus diebus
transactis post narrata, venit Felix cum Drusilla
uxore sua, quae erat filia Herodis Agrippae qui la-
cobum occidit, & petrum eonjecit in carcerem
Aitorum. 12. num. 1. quae relicto priore marito in
adulterio erat cum Felice praeside, de quo quaestione
sequenti, vocavit Paulum, ut audiret aliqua de
fide Christi, & ad hoc exhortatus est ab uxore sua
quae erat Judaea.

62. Vers. 25. Disputante Paulo de justitia, & castita-
te. Syriac. Cum verba faceret ad eos. Arabicus.
Loquutus est eis de justitia servanda, & erga pro-
ximum, ac de castitate ad se ipsum, & de iudi-
cio futuro, quod scilicet non crederet perfectâ fide
fuit tamen opinative anceps, & mansit cum formi-
dine illius.

63. Quod nunc attinet, vade, ut notant Lyra, Glof-
sa. Carthusian. Hugo, eum liberavit à clausura car-
ceris, dans ei facultatem deambulandi per civita-
tem, ita tamen, ut rediret, cum esset vocatus.

64. Vers. 26. Simul sperans, quod pecunia ei daretur
à Paulo. Syriac. ut munus sibi donetur à Paulo
Aethiopicus, existimabat, quod habuisset pecunias
ac proinde sperabat ab eo esse ei dandas, de quo
q. 10.

65. Vers. 27. Biennio expleto; magna est varietas
opinionum in hac re pro una quaque stant gra-
ves Authores, gravesque conjecturae, ac observa-
tiones, quidam computant biennium à Pauli com-
prehensione, alii à neronis Imperio. Alii à Felicis
praefectura in Judaea.

QUESTIO IX.

Quare D. Paulus Proconsuli maxime commenda-
dat castitatem, eumque de illâ
commonefacit.

66. VT dicitur versu 25. Disputante, seu ut habet
Syriacus, Cum loqueretur cum illo de justitia,
& castitate; ad rectam Proconsulis, ac praesidis
functionem non solum pertinet justitia, sed etiam
vigilantia, sollicitudo, puritas, ac integritas ab
omni munerum correctione.

67. ratio est in promptu, quia Felix erat in publi-
co, ac manifesto adulterio cum drusilla, nam
ejus amore captus ob suam elegantem pulchritu-
dinem, industria Simonis cujusdam Magi eam
ad se pellexerat relicto suo primo marito Azizio
Rege Enefenorum ad suum matrimonium transi-
re facit, deinde de hoc Felice infelicissimo refe-
runt fuisse valde libidinosum Josephus lib. 20
Antiquitat. cap. 6 Cornelius tacitus libro quin-
to Histor. & cum Paulus sciret ipsum esse adul-
terum: inde libertate Apostolica de castita com-
monefacit.

68. Secundo qua ratione Apostolus commonefeci-
ens praesidem ei maxime commendat castitatem
ut maxime necessariam ad animi rectitudinem, &
vigilantiam, & ut mens sit libera à pravis ac ma-
lis passionibus, ait Oseas. 4. n. 11. Fornicatio, & vi-
num, & ebrietas auferunt cor, perturbant mentem, &
hominem insanire faciunt, & nota quod prius Va-
tes posuit fornicatione, tanquam quid fortius, quâ
vinum, & ebrietas, & plus valet ad perendum hominem
una fornicatio, quam duplicatum vinum, & ebrietas
nem.

69. Et ideo Apostolus 2. Corinth. 6. n. 6. agens de nei-
ministris ait quod sint, In castitate, in scientia,
in longanimitate, Ubi vides castitatis locum prio-
rem, deinde sapientiae posteriorem esse castitas
preparat

Ament. casti-
tas ad
sapienti-
am.
Castian.
D. Paul. preparat, & facit locum ad sapientiam, sic ait Abb.
Nestor apud Cassian. collatione 14. c. 16. In qua
virtutum conjugatione evidentissime nos voluit eru-
divo de castitate ad sapientiam perveniri, ac nemo
potest assequi, nisi prius castitate preparatur, ac
disponatur; unde ait D. Paulin epistol. 33. Quanto
vir castior moribus, tanto vivacior sensibus.

70. Ait Christus Dominus suis Apostolis, Vos estis
sal terra, vos estis lux mundi. Matth. 5. num. 13. &
quoniam combinatio inter sal, & viros Apostoli-
cos; constituebantur ipsi principes orbis terrarum,
ac mundi rectores, ac lux mundi, ad quod prius
debent in se assumere naturam, ac conditionem
salis, quae excitat carnes ab omni pravo humore,
& praeservat à corruptione: tales requiruntur prin-
cipes, & Doctores, ut exsiccatis pravis humoribus
sint castitate incorrupti, & tunc ut lex fulgebunt,
ut alios valeant in verâ luce, ac doctrinâ illumina-
re. Rupertus lib. 4. de gloria, & honore filii homi-
nis ait, Quorundam sal superfluum, sive nocivus humo-
rum caninum desiccatur, & à putredine purificatur, sic
Apostolica doctrina cunctâ justitia purificare habe-
bat, & ubique terrarum consilio castitatis salire cre-
dentium corpora, quatenus non putrescerent, aut usque
quaque potenti non corrumpere luxuria.

71. Ait Malachias cap. 4. num. 5. Ecce ego mittam
vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Do-
mini magnus, & horribilis. & cur ex tot, ac tam
magnis prophetis unus eligitur Elias, ut sit ejus
minister in ultimo adventu Filii Dei. D. Ambros.
lib. 1. de virginibus ait, Elias nullius corporis coi-
tus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, ideo
eum Domino apparet in gloria, ideo Domini inven-
tus est praecursor adventus. Ecco Parens Elias ob
suam virginitatem, & castitatem in tantum subli-
matur, ut cum Domino apparet in gloria, in Tha-
bore, & cum eo loquebatur de excessu, & pro
ultimo adventu destinatus est praecursor Filii Dei,
Deus suos ministros maxime castitate conspicuos
eligit.

72. Exiens david cum Goliath. Elegit sibi quinque
limpidissimos lapides de torrente 1. Reg. 17. num. 40.
passim in Sacra Scriptura referuntur lapides; Gen.
28. quod Jacob tulit unum de lapidibus, qui jace-
bant, & suppositus capiti suo, & iterum: erexit lapi-
dem in titulum; & iterum, amovit lapidem ab ostio
putei; at nunquam dicuntur limpidissimi lapides
nisi in praesenti, in aliis locis commemorantur
lapides ad accubitum, vel in signum gratitudi-
num, vel amoris; at hic dicuntur lapides tam-
quam instrumentum ad regiam dignitatem, in qua
tanta limpiditas, & puritas requiritur, ut etiam in
instrumentis, quae ei inserviunt, & cum illa con-
jugantur, limpiditatis candor debet nitere, quan-
to magis in ipso Rege debet resplendere.

QUESTIO X.

Quare Felix praeses frequenter vocabat Paulum, &
loquebatur cum eo.

73. Dicitur in Textu, quod Felix praeses, vers. 26.
frequenter accersens eum, scilicet Paulum, lo-
quebatur cum eo. Quoniam animo hoc praestabat
homo gentilis advocans ad se magum, & Aposto-
lum praedcatorem, non salutis causa, sed rationem
explicat Textus dicens; sperans, quod pecunia ei
daretur à Paulo: quod notans D. Chryost, ibidem
ait: Accersit illum, subinde non admirans illum, ne-
que laudans, quae dicebantur ab illo, neque credere

D. Chry-
sost.

volens; Sed quid? expectans dandas sibi pecunias
non solum expectavit, sed etiam postulavit, ut
differit Tertullian. lib. de fuga in persequutione
cap. 12. & ait, ea de re in secreto tractavi cum illo
Unde merito notat Isidorus Clarus timorem, &
tremorem, quem Felix debebat accipere de iudi-
cio futuro, commutavit in cupiditatem compa-
randae pecuniae ab eo, sic citatus Auctor. Spera-
bat, quod pecunia ei daretur à Paulo, nec quere-
bat instrui potius, quo pacto intrepidus staret
ante illud tribunal, cujus appellatio ita eum per-
terruit, & tanta re neglecta, frequentius accer-
cebat Paulum, lumen illud orbis terrae, & cum
illo versabatur ob solam accipiendâ pecuniae
spem.

Ait Isaias 1. num. 13. Principes tui infideles, socii
furum, omnes diligunt munera. Quae verba ponde-
rans Petrus Damianus lib. 2. epistol. 23. ait, Hic
non notantur ii, qui munera quarunt, sed tantum-
modo diligunt; qui etiam socii furum non immerito
dicuntur; quos dum furiva dant, suscipiunt, depre-
hensi velut in furti crimine non perhorrescunt, non
notantur, qui quaerunt, sed qui diligunt quia ex
ipla dilectione, ac cupiditate nullam turpitudinem
recipiunt infideles in suo munere administrando;
omne us violant, & contemunt, socii furum
justitiam vendunt, & eam à suo possessore adi-
munt, & non habenti dant, ut ipsi pecunias ha-
beant.

Scribens Paulus ad Timotheum 1. cap. 3. num.
2. ait, Oportet Episcopum non esse cupidum, non ait
oportet Episcopum esse justum, rectum, chari-
tativum, sed non esse cupidum, ut notavit D.
Anselm. ibi, non cupidum, ait, quia cito deviare
à justo, propter cupiditatem munus, sicut filii
Samuelis; Si praelatus fuerit munus cupido
omne nefas devorabit pro comparandis muneribus;
est enim omnium malorum radix cupiditas.



CAPUT XXV.

- 1. Festus ergo cum venisset in provinciam post tri-
dium ascendit Ierosolymam à Caesarea.
2. Adieruntque eum principes Saerdotum, &
primi Iudaeorum adversus Paulum & rogabant
eum.
3. Postulantes gratiam adversus eum, ut iuberet
eum perducere in Ierosolymam, insidias tendentes,
ut occiderent eum in via.
4. Festus autem respondit, servari Paulum in
Caesarea, se autem maturius profecturum.
5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descen-
dentes simul, si quod est viro crimen, accusent
eum.
6. Demoratus autem inter eos dies non amplius,
quam octo, aut decem, descendit Caesaream, &
altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum,
adduci.
7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum;
qui ab Ierosolyma descenderant Iudaei, multas
& graves causas objicientes, quas non poterant
probare.
8. Paulo rationem reddente; Quoniam neque in le-
gem Iudaeorum, neque in templum, neque in Cesa-
ream quidquam peccavi.
9. Festus autem volens gratiam praestare Iudaeis
respondens Paulo, dixit, vis Ierosolymam
ascendere.